


HOMEOP

de Gestis

Card.

ineros



73



LIBRARIUS  
MUSEI  
HISTORICAE  
CIVITATIS  
LIVORNIENSIS  
ANNO  
MDCCCXXXV

FRANCIS  
SIC CONFIRMARE  
SIC CONFIRMARE

COMPLA  
A. M. de An  
1835



# CONSTITVTIONES.

Insignis Collegij Sancti Ildefonsi, ac per indetotius almae Complutensis Academiae. Ab Illustriss. Ac reuerendiss. Domino. F. Francisco Ximeno Cardinali sanctae Balbinae, & Archiepiscopo Toletano eiusdem Collegij, & Academiae vnico fundatore, olim sancitae.

COMPLVTI  
*Excudebat Andreas ab Angulo.*



# ADMODVM REVERENDIS

AC MAGNIFICIS VIRIS. D. RECTORI ET

Collegis insignis Collegij Diui Illesonfi, Scholæ

Complutensis moderatoribus, An-

dreas Angulo Typographus.

S. P. D.



VM PRIMVM TYPOGRAPHIA HÆC COM-  
plutēsis ad me ex paterna hereditate peruenit, nihil prius  
habui, quàm vt vobis, Patres ampliss. quaqua possem ra-  
tione significarem, quantum vestram potius hanc esse no-  
stram officinam putarem, quam quippiam in ea esse cre-  
derē, quod nostrū meritò existimarē. Quod autē optanti  
mihi vix euenire posse vnquam sperassem, id vestra benignitas patres ob-  
tu lit cumulatissime. Leges vestras antiquas quæ Academia huius sanctio-  
nes, quibus sanctissime gubernatur, mihi excudendas tradidistis: quo vno  
facto planè declarastis, id vos de me meoq; officio & in vestrum obsequiū  
propensione sentire, quòd ego apud vos in primis malle esse testatū. Vos  
cum totam Reip. huius literariæ sanctissimam administrationem per me  
in manus omnium venire voluistis, me vnum eum esse indicastis, quem vo-  
bis semper obnoxiiū aut esse iam, aut denuo facere velletis: ego vero de meo  
studio obseruantia & veneratione erga vos ea deinceps polliceor, quæ de  
homine multis de causis vobis, Patres, addiçto, & plane vestro sperare  
semper & possitis & debeatis. Valete Patres grauiſſ. ex Offi-  
cina nostra. XII. Octob. Anno Domini.

M. D. LX.



# INDEX CONSTITVTIO. ❀

NVM QVE IN HOC VOLVINE  
continentur.

De titulo, & inuocatione collegij, & de numero collegialium, & capellanorum. fo. 1	De clausura domus, et quod nemini liceat extra collegium pernoctare. fo. 13
De Rectore, & cōsiliarijs collegij. fo. 2	De excessibus Rectoris, & consiliariorum atq; collegialium capellanorum, & aliorum officialium. fo. 14
De forma eligēdi Rectorē, et cōsiliarios. 2	De pœnis contra facientes vel surripientis aliquid de bonis collegij. fo. 14
De tēpore rectoris, & cōsiliariatus. fo. 3	De claustro ordinario fo. 14
De absentia Rectoris, & consiliariorum, & de modo eligendi vicerectorem, & viceconsiliarios. fo. 3	De libraria collegij. fo. 15
De vacatione præbendarum, & de electione collegialium. fo. 4	De archiuis collegij, & depositis non recipiendis. fo. 15
De qualitate eligendorū ad præbendas, & de cursibus per eos necessario faciendis, & de tempore quo permanebunt in collegio. 5	De libris possessionum, & reddituū. fo. 15
De habitu, & honestate collegialium, & de euitandis quibusdam musicis instrumentis, & ludis. fo. 6	De bonis collegij non alienandis nec mutādis, & edificationibus, et reparationibus nouiter faciendis. fo. 16
De electione capellanorum, & eorum officio, & qualitate, & quanto tēpore permanebunt in collegio. fo. 7	De thesaurario, & alijs officialibus collegij. fo. 16
De absentia collegialiu, & capellanorū. 7	De personis deputandis per singulos annos ad rationes exigendas fo. 18
De missione præbēdatorū extra collegiū. 8	De officio diuino in capella persoluēdo, & quibus tēporibus confiteri, & eucharistiam summere teneantur. 19
De electione familiarium fo. 9	De suffragijs pro anima ipsius fundatoris, & aliorū defunctorū præstādis. fo. 21
De portionistis necessario in collegio recipiendis. fo. 9	De processionibus, & sermonibus, certis diebus solēnibus faciendis. fo. 21
De cameristis, & socijs cameristarū ac tredecim pauperibus eligendes. fo. 10	De infirmis curandis. fo. 22
De hora prædij, et cœna, de modo seruiendi ad mēsam, et lectione ibidē faciēda. 11	De tempore pestis. fo. 23
De ordine sedendi ad mensam, & portionibus distribuendis. fo. 12	De collegis pauperum. 23
De electione camerarum, & q̄ singuli collegialium soli habitent in cellis. fo. 13	De religiosis in monasterio Collegij recipiendis. fo. 24
	De electione regentiū, & lectorū. fo. 26
	De salarijs regentium, & lectorū. fo. 29
	De absentia regentiū, & lectorum. fo. 29



I

**INSIGNIS COLLEGII**  
SANCTI ILLEFONSI, AC PERINDE  
totius almę Complutensis Academiae  
constitutiones.

*AB ILLUSTRIS. AC REVERENDISS. DOMINO F. Francisco Ximeno Cardinali sanctę Balbinę & Archiepiscopo Toletano eiusdem Collegij & Academiae fundatore olim sanctę.*



**NDE IN OMNINE AMEN.**

Nouerint vniuersi & singuli presentes literas inspecturi, q̄ anno à natiuitate domini millesimo quingentesimo decimo, in ditione tertia decima, die vero vigesima secunda mensis Ianuarij, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri D. Iulij diuina prouidentia Papę secundi anno septimo. In oppido de Alcala de Henares Toletanę Diocesis, in domibus solitę habitationis illustris, ac Reuerendissimi in Christo patris, & domini D. F. Francisci Ximenez de Cisneros sacrosanctę Romanę Ecclesię tituli Sanctę Balbinę presbyteri Cardinalis Hispanię nũcupati, sanctęq; Toletanę Ecclesię Archiepiscopi, Hispaniarum Primitis, ac regnorum Castellę maioris Cancellarij, &c. In mei Notarij publici testiumq; infra scriptorum ad hęc specialiter vocatorum & rogatorum presentia. Pręfatus Illustris ac Reuerendissimus dominus Cardinalis, auctoritate apostolica sibi per sanctissimum dominum nostrum cõcessa pro ut in litteris apostolicis inde confectis plenius cõtinetur, statuit, ordinauit & stabiliiuit constitutiones & ordinationes infra scriptas pro collegio, sub titulo & inuocatione sancti Illefonsi, per ipsum Reuerendissimum dominum in commemorato suo oppido de Alcala de Henares à fundamentis prope monasterium sancti Francisci, ipsius oppidi ædificato. Quas pręcepit per Rectorem, Regentes, Lectores, Capellanos, Collegiales, Doctores, Magistros, Licentiatos, Baccalarios, Portionistas, Cameristas, Socios, & vniuersos & singulos, Scholares, ac officiales, ipsius Collegij & vniuersitatis, & ceteros quoscunq; quos infra scriptę constitutiones concernunt, siue tangunt aut tangere possunt, quomodolibet in futurum, sub penis in eisdem contentis inuolabiliter obseruari. Reseruato eidem Reuerendissimo domino iure addendi, minuendi, corrigendi, & interpretadi cum si-

A      bi con-

bi congruum visum fuerit. Quæ quidem constitutiones prout præfata auctoritate apostolica fuerunt editæ, stabilitæ & ordinatæ, sequuntur huiusmodi sub tenore.

*¶ De Titulo & inuocatione Collegij, & de numero Collegialium  
& Capellanorum. I.*

**I**N primis statuimus & ordinamus, quòd in nostro collegio quod nos auxilio diuino sub titulo & inuocatione sancti Illelsonsi, intra muros nostri oppidi de Alcala de Henares, à fundamentis construi fecimus, dotauimus, atque ereximus sint perpetuis futuris temporibus triginta tres præbendati, quorum vnus sit caput & Rector totius Collegij & vniuersitatis & tres eorum sint consiliarj. Sint etiam vltra prædictos in eodem Collegio duodecim Capellani sacerdotes seculares, quorum duo teneantur ministrare sacramenta necessaria omnibus & singulis habitantibus in Collegio tanquam proprjs parrochianis, vocenturque ratione præfate ministrationis Capellani maiores. Sit etiam vnus ex alijs Capellanis sacrista maior, ad quem pertineat custodia & sollicitudo eorum quæ ad ecclesiam sancti Illelsonsi quæ est intra præfatum Collegium spectant & alia ad eius officium concernentia vt inferius explicabitur: reliqui vero nouem Capellani sint in partem & sollicitudinem totius regiminis & administrationis eorumque ad ministerium & seruitium ecclesiæ præfate & alia quæcunq; negotia ipsius Collegij pertineant quoquomodo prout Rectori & Consiliarjs visum fuerit expedire, qui appellentur Capellani minores, & in absentia aut propter impedimentum capellanorum maiorum teneantur ea adimplere, quæ capellanis maioribus incumbunt, illi videlicet, quibus Rector id iniunxerit. Cohabitentque, tam sacrista maior, quàm præfati nouem capellani minores in cameris, quæ sunt propre sacristiam & in alijs habitationibus eidem capellæ contiguas, ad hoc deputatis, nisi ex aliqua iusta causa visum fuerit Rectori & consiliarjs fore magis necessarium vel vtile, aliquem seu aliquos eorum in aliqua parte alia Collegij esse collocandos. Deputenturque à Rectore & consiliarjs duo ex præfatis nouem capellanis vt principaliter intendant cum sacrista maiori, circa eius officium sicut idem Rector & consiliarj disposuerint. Sint insuper in eodem Collegio duodecim familiares, quorum familiarium vnus sit dispensator minor, alius vero coquus, reliqui autem decem deputentur pro seruitio communi domus, ad arbitrium Rectoris & Consiliariorum. Habeatque præfatus dispensator minor pro salario singulis annis quadraginta argenteos, coquus autem habeat quod Rectori & Consiliarjs videbitur dum ta  
men

men non excedant summam octoginta argenteorum, alij vero decem habeant singuli viginti argenteos. Et insuper cuilibet dictorum familiarium detur singulis annis vna vestis superior, quæ dicitur clamis: & sit eius coloris quo vestiuntur præbendati licet sit minoris pretij.

¶ *De Rectore & Consiliarijs Collegij. II.*

**O**rdinamus etiam quod ex dictis triginta tribus collegialibus quolibet anno, in vigilia sancti Lucae euangelistæ, eligatur vnus Rector & tres consiliarij, quibus incumbat onus regiminis & gubernationis ipsius collegij, Rector vero in vniuersis actibus & negotijs, congregationibus, electionibus, examinibus, graduum collationibus, quæ fiunt sine rotulo (nam in tabulis seruentur constitutiones nostræ, inferius posita, vbi de rotulis conficiendis agitur) ac alijs omnibus quouis modo gerendis & exercendis habeat potissimum locum & primam vocem. Et intersit vniuersis actibus & negotijs tanquam caput, cuius arbitrio cuncta ferè in nostro collegio & vniuersitate moderanda relinquimus. Et in electione Rectoris & consiliariorum, capellani non habeant vocem actiuam, nec passiuam, quia nec nomine collegialium eosdem volumus comprehendere: ab huiusmodi officijs Rectoria & consiliariatus nullus predictorum collegialium se excuset, sed eodem die quo fuerint electi absque aliqua excusatione sub pena expulsionis à Collegio eadem officia acceptare teneant.

¶ *De forma eligendi Rectorem & Consiliarios. III.*

**P**rouidam & circumspectam oportet adhibere considerationem in electione Rectoris, vt quemadmodum ipsius Collegij & vniuersitatis futurus est caput, ita etiam meritis & virtutibus rerumque experiètia cæteros antecellat. Vnde statuimus, quod octaua die ante festum sancti Lucae congregentur omnes Collegiales in claustro dicti Collegij, quibus Rector denunciet futuri Rectoris electionem, admoneatque eos, vt secum cogitent, quis commodius in rectorem possit eligi, deinde in vigilia S. Lucae post celebratam summo mane spiritus sancti missam, claustrum per Rectorem conuocetur & teneatur. Et capellanus qui prædictam missam celebravit, simul cum notario claustri præstito prius ab eisdem iuramento, de secreto eorum quæ in claustro fiet seruando recipiat ab omnibus & singulis Rectore & consiliarijs, ac collegialibus solenne iuramentum, quod eligent in Rectorem, quem crediderint sufficientiorem, & magis idoneum ad regimen dicti Collegij, & totius vniuersitatis, & in consiliarios eos, quos crediderint idoneos & sufficientes ad consiliariatus officium. Et volumus quod postquam in claustro ad huiusmodi electionem Rectoris & consiliariorum faciendam ingressi fue-

rint nemini liceat amplius à clauſtro exire, donec præfata Rectoris & conſiliariorum electio conſummata fuerit. quæ quidẽ electio fiat per cedulas eadem manu ſcriptas dumtaxat & vt omnis ſuſpitionis materia tolatur & ne aliquis poſſit ſeipſum eligere in Rectorẽ. Ordinamus q̄ poſtq̄ in clauſtro ad dictam electionem faciendam omnes fuerint congregati, deputetur aliqua perſona à dicto clauſtro, quæ aliquod ſignum ponat à tergo in prædictis cedulis itaq; non ſit locus mutandi aliquam ex cedulis & loco illius ponendi alteram. Et conſequenter Rector, accepta prius pro ſe ipſo cedula diſtribuat cuiſlibet collegialium cedulas nominum omnium & ſingulorum, qui ſecundum formam noſtrarum cõſtitutionum, poſſunt eligi pro illo anno. Singuli autẽ collegialium ex dictis cedulis eligant quam cõſcientia dictauerit eligendã iuxta formã præſtiti iuramẽti, & reponat eas ſecreto in loco ad id designato, reliquas vero quas reiecerint aperte referẽt corã eiſdẽ Rectorẽ & cõſiliarĩs vel reponãt eas in loco ſecreto, etiã ad id designato vt omnis fraudis occaſio proſus tollatur. Deinde Rector præfatus cũ capellanis maioribus & notario clauſtri, præſtito prius per eos iuramẽto, q̄ nullo vnq̄ tẽpore publicabũt nomina, nec vota niſi illiº dũtaxat qui fuerit electus à maiori parte vel illorũ de quibus in ſecũdo, vel tertio ſcrutinio debet fieri electio, nõ exprimẽdo etiã tunc numerũ votorũ ſcrutẽtur cedulas, & ille habeatur pro Rectorẽ, cui maioris partis eligẽtiũ vota ſuffragentur, q̄ ſi in diuerſos vota diuiderẽtur, ita q̄ nullus à maiori parte eligentiũ hac prima vice reperiretur electus. Tũc in cõtinẽti iterũ & ſecũdo procedãt ad electionẽ de illis perſonis dũtaxat quæ in prima electione plura vota habuerũt excluſis cæteris oĩbus qui pãtiora (vt exẽpli grã) ſi duo vel plures habuerint ſingula ſex vota de iſtis ſolũ fiat electio, excluſis cæteris omnibº q̄ à minori numero fuerint electi, ſed ſi vnº dũtaxat habuerit ſex vota, quia de vno nõ po- teſt fieri electio, tũc de illo vel de illis q̄ habuerint ſinguli quinq; vota & de iſto qui habet ſex vota fiat ſolũmodo electio excluſis cæteris omnibus, & hæc eadẽ forma ſeruetur quoties tali modo, electos in maiori vel minori numero voces habere contigerit, vt videlicet de illis ſolis fiat electio, qui fuerint in æquali maiori numero, & ſi vnus ſolus fuerit in maiori numero, de illo & de alijs dũtaxat, qui poſt ipſum fuerint in maiori æquali numero ſolũmodo fiat electio excluſis cæteris omnibus habẽtibº vel nõ habẽtibº vota. Sed ſi (quod abſit) hac ſecũda vice nullus à maiori parte eligẽtiũ fuerit electus, ita q̄ neceſſario ſit ad tertium ſcrutiniũ deueniendũ. Tũc in cõtinẽti anteq̄ exeãt de clauſtro, diſtributis cedulis vt ſupra, iterum electio fiat tertio de illis dũtaxat qui à ſecunda electione plura vota habuerũt ſicut diſpoſitũ eſt. Et tãdẽ in hoc tertio ſcrutinio, ille habeat pro Rectorẽ, cui plura vota ſuffragent, etiã ſi nullus à maiori parte eligẽtiũ fuerit electº. Quia nolũmº q̄ in huiusmo-

huiusmodi electionibus, vltra q̄ ad tertiū scrutiniū procedatur, ne ex dilata-  
 tione electionis prædictæ, Collegiū dispendium aliquod patiat. Itē vt o-  
 mnis contentio, atq; controuersia materia omnino tollatur, prohibe-  
 mus, ne in huiusmodi scrutinijs deueniatur ad collationē zeli ad zelū, nec  
 meriti ad meritum. Sed si forte in eo tertio scrutinio duo, vel tres, vel plures  
 a pari numero reperirentur electi, tunc cedula nominum eorundem à pari  
 numero electorum, priori loco reponantur & ex dictis cedulis præfatus ca-  
 pellanus, qui missam celebravit, deducat vnā, quæ ei casu obtulerit, & sic  
 forte eorum contentio dirimatur, cōtentusq; in dicta cedula habeatur pro  
 electo in Rectorem. Nemini autem cessante necessitate liceat exire de clau-  
 stro, donec Rectoris, & consiliariorum fuerit consummata electio sub pœ-  
 na amissionis vestuarū illi⁹ anni, & q; ipso facto priuetur voce eligendi pro  
 illa electione dumtaxat, & potestas eligendi maneat penes ceteros in clau-  
 stro interessentes, volumus etiā q; in huiusmodi electionibus, & in omni-  
 bus actibus, & negotijs, quæ collegialiter per claustrum secundum n̄as cō-  
 stituciones debent expediri, teneatur Rector conuocare omnes & singulos  
 collegiales, in oppido existentes, sub pœna duorum florennorū id qua ipso  
 facto incurrat pro qualibet vice quoties cōtrarium fecerit, & insuper vt o-  
 mnibus melius innotescat: paulo antequā claustrum cōgregetur, cōuocē-  
 tur omnes per sonū cāpanæ. Sed si forsam aliquis vel aliqui collegialiū fue-  
 rint infirmi vel alio quocunq; impedimento detenti, vbicunq; sint, siue in  
 collegio, vel extra collegium, in oppido, vel alio quocunq; loco extra oppi-  
 dum, nisi intersint electioni, nullatenus habeant vocem ad eligendum, nec  
 possint alijs ad hoc committere vices suas, sed penes interessentes in clau-  
 stro tātummodo remaneat potestas eligendi. ceterum post electionē Re-  
 ctoris anteq̄ exeant de claustro, vt præfertur: eligantur tres consiliarij: ita q;  
 nouus Rector, & collegiales secreto per cedulas, prout in electione rectoris  
 dispositum est, procedāt ad electionem horū triū cōsiliariorū: & primo fiat  
 electio vnus & is habeatur pro cōsiliario electus, cui plura vota suffragen-  
 tur, etiā si à maiori parte eligentium nō fuerit elect⁹: q; si duo, vel plures de  
 ijs, quibus plura vota suffragantur a pari numero reperirētur electi, tūc for-  
 te dirimatur inter illos prout in electione Rectoris, in casu paritatis disposi-  
 tum est. Et facta electione vnus consiliarij statim modo prædicto proceda-  
 tur ad electionē alterius, & illa finita immediate fiat electio tertij cōsiliarij.  
 Tamē electo Rectores & cōsiliarijs, antiquus Rector, exigat iuramētū à no-  
 uo Rectore, de fidei administratione officij, iuxta formā iuramēti inferi⁹  
 annotatā. Et nouus Rector exigat iuramentū à nouis cōsiliarijs. Et cōsequē-  
 ter ab omnibus capellanis & collegialibus, videlicet q; obediētes erūt ipsi  
 Rectori, & successorib⁹ eius in omnibus licitis, & honestis, quæ istis nostris